









1720.

1. Aversvalda, Jo. Emeritus: De eo, quod lege natu-
rali pro fidei sociis propter religionem afflic-
tis justum est.
2. Bastinellerus, Geth. Christ. Ord. Fel. Decanus: De eo, quod
voto s. p. d. (ad Disputationem solemnem Gulielm. Rindleri Krausii
~~lege autoritate pro fidei sociis~~
invitat.) Lectri bene.
3. Bastinellerus, Geth. Christ. Ord. Fel. Decanus: Lectri bene-
voto s. p. d. (ad Disputationem solemnem Christiani Haue-
cii invitat.)
4. Bastinellerus, Geth. Christ. Ordinis Felorum ... Decanus:
(ad Disputationem solemnem Christiani Gulielm. Rind-
leri invitat.)
4. Bastinellerus
5. Bastinellerus, Geth. Christ.: De vitio libelli.
6. Bastinellerus, Geth. Christ.: De differentia consue-
tudinum receptarum a propriis eorumque natura et
effectu. 2 Exempl.
7. Berger, Christophorus Henricus, De: De jure per



Sonarum, quas vulgo larvas seu mactores
Sichtiles. . . - Von Cornuel - Recht.

8. Bergerus, Fr. Gethopides; Rechts u. cas. Wittenber-
geris: Civibus academicis salutem plurimum
si illi eisdemque ad decorem feriarum parte-
tium celebrationem humaniter iuvabit.

9. Burmann, Fr. Christian: Apologiam in-
dentine utrum bibliothecam Academicam Holo-
lem. disput. prioris. . . vindica-
bant.

10. Hensen, Martinus: Apologiam in-
utrum bibliothecam Academicam Holo-
lem. disput. prioris. . . placide. . . Dis-
quisitioni submittet.

11. Krauris, Fr. Godefr: De conione decimatica
Germanis Prob. Prodigit - 2 Exempl.

12. Menckel, Gtfr. Ludovicus: De eo, quod iustum est
 circa investituram solemnem.
- 13^{ae} = Menckel, Gtfr. Ludovicus: Observationes circa
- 14^{ae} ^{Thorschmid} ~~procerum~~ Saxonicum 2^{ae} Sempl.
- 14^{ae} Vater, Abraham: Dissertatio inaugurata Chem-
 jien medica, qua vulnere in intestinis . . .
 Cebhalitis . . . placidae . . . disquisitioni
 exponitur.
- 15^{ae} Vater, Abrahamus: Dissertatio inaug. medica, qua
 methodus nova transplantandi variales per irri-
 tionem Ves Bletker - Boltzen . . . placido eru-
 ptum ^{exponitur} exponitur.
- 15^{ae} Vater, Christianus:
16. Pölsack, Fr. Gottlob: De nobilitatis nobilitaque
 privilegiis
17. Wünderas, Fr. Friedr.: Programm, pro de veteri
 et nove astronomiae doctrinae discordia et
 praedilectionum astronomiarum publicarum auspicio
 scribitur.



18. Wexler, Fr. Baltus : De usu beneficii
liberandi aliorumque juri Romani epis-
tam.

19. Wilmanns hussus ; Fr. Christophorus : De divisa-
Sombes babiloniorum.

8

Vol. 3 P. 15
1720
12
10

כ"ט

APOLOGIAM INVIDENTIÆ

ADVERSUS

BIBLIOTHECAM ACADEMICAM HALLENS.

DISPUTATIONE PRIORI.

541

IN

ILLUSTRI AD ALBIM ACADEMIA

D. 31. Jul. A. MDCCLXX.

MODERANTE

DN. MARTINO HASSEN

MORALIUM AC CIVILIUUM PROF. PUBL. ORD.

PATRONO SUMMOPERE COLENDO

H. L. & C.

PLACIDÆ PHILOSOPHANTIUM DISQUISITIONI SUBMITTET

AUTOR

JO CHRISTIAN. BURGMANN,

ROSTOCHIENSIS, LL. AA. MAG.

Wittenbergæ, Imprimebat Johannes Lud. Fincelius.



V I R O
PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO ATQVE
SPECTATISSIMO
D O M I N O
NICOLAO BRÜNINGIO,
INCLUTÆ REIPUBLICÆ IMPERIALIS LIBERÆ
LUBECENSIVM
CIVI ATQVE MERCATORI PRIMARIO,
BENEFICII SCHABELIANI VNDEQUAQUE
CELEBRATISSIMI
EPHORO GRAVISSIMO
PATRONO STUDIORVMQVE AM-
PLIFICATORI MAXIMO

Omnigenam prosperitatem humillime precatur,
&
hoc, quidquid est, chartacei muneris demisse offert.

SPLENDIDISSIMI NOMINIS BRÜNINGIANI

Cultor perpetuus
M. IO. CHR. BURGMANN,
Autor Respondens.



ARGUMENTUM DISSERTATIONIS PRIORIS

- | | |
|--|---|
| <p>§. I. <i>Dissertatio de Licita Eruditorum inuidia Rostochii ventilata fuit.</i></p> <p>§. II. <i>Cersura Hallensis, quæ Apologia occaso. Huius methodus exponitur.</i></p> <p>§. III. <i>Δεγομαχία in affectuum doctrina. Censoris impuratio, quod recta a me mutata sint, in genere confutatur.</i></p> <p>§. IV. <i>Speciatim 1.) per definitionem inuidentiæ datam α.) nam licet dolere, ob bonum alienum.</i></p> | <p>§. V. <i>Notatur Thomafius.</i></p> <p>§. VI. β.) <i>Metus ob bonum alienum iniustus esse non potest.</i></p> <p>§. VII. 2.) <i>Per consensum Moralistarum tam expresso nomine, quam re ipsa inuidiam commendantium. Notatur Thomafius.</i></p> <p>§. VIII. 3.) <i>per licentiam emulationis ἐπιχαίροντας remissius.</i></p> |
|--|---|

§. I.

Anni iam duo cum duobus circiter mensibus effluxerunt, ex quo moderante Viro Celeberrimo, DN. FRANC. ALBERTO AEPINO, Theol. & Philos. Doctore, & Logices Professi Duc. Publ., de Athenis, quas Musæ ad Varnum incolunt, atque vniuersa re litteraria egregie merito, studiorum Amplificatore summopere colendo, *Exercitium quoddam Academicum de licita Eruditorum inuidia* luci atque ventilationi publicæ in Alma Rostochiensis Patria exposui, in qua id defendendum mihi sumsi, inuidentiæ prauitatem, quæ vulgo affectui huic naturalis et insita esse perhibetur, forinsecus aduenire, atque ex circumstantiis subiecti potissimum et obiecti manare: quibus præcis inuidentiæ a crimine liberari, et non minus licita, quam illicita fieri possit. Id ipsum vero in genere præstruxisse necessarium arbitratus, inuidentiæ primum in actu signato licitam induxi, Moralistarum quam plurimorum auctoritate, et argumentis, vt reor, idoneis munitus. Cuius tractationis quo eo maior existat vis & efficacia, specialioribus deinceps casibus augenda ea et illustranda erat. Atque hi cum Capite Ido fusius exponerentur, ex eruditorum viuendi rationibus et historia litteraria depromti; enata hinc mihi est dicta de licita eruditorum inuidentiæ commentatio. Quam ita instructam, regulisque iusti et honesti

fatis superque circumscriptam, æquos speravi, arbitros experturam fore, & nec nouitatis, nec improbitatis suspicionem incurrere posse.

§. II. Sed misere me fefellit euentus. Hallenses enim, de quibus vel plane non cogitaram, vel securus saltem fueram: propterea quod libertatem philosophandi vbiuis crepant, sibi que præ multis aliis gratulantur, imo vel solis arrogant; id sibi datum esse crediderunt, vt dissertationem hanc, postquam illius antea argumentum carptim quidem, sed nec adæquate, nec absque studio partium enarrauerant (a); quod forte nec in suo nec suorum cerebello nata erat, in Bibliotheca Academica Anni 1719 ccxix. Sect. V. n. LIV. p. 21. seqq. sub acrius examen reuocarent, uariaque exinde absona, quæ intemptius censendi pruritus suggestit, exsculperent, atque auctori impingerent. Quamquam autem hæc durius, quam philosophos & ephemeridum præsertim conscriptores decebat, consulta in me sint; non me mouerent tamen aut male haberent, dummodo rationes allatas, quæ a Dissertatione exulare temere dicuntur, expugnasset censor, censuræque suæ, vt debebat, fidem fecisset. Verum enimuero friuolis imputationibus atque inanibus ab inuidia ductis argumentis, suo se officio satisfecisse, existimat, & quauis mihi ratione insultare gloriæ ducit. Itaque vbi commoda se occasio iam offert, & ex decreto Amplissimæ Philosophorum Vitembergensium Facultatis pronostificatione, vt loqui solent, dissertationes nonnullæ ventilandæ sunt; Apologiam hanc scribere visum fuit, vt quam longe ipse a laxitate morali & inhonesta innouandi petulantia absum, edoceantur alii, eodemque tempore constet, quam parum dexteritatis, fidei et
foli-

(a) Ita circa Capitis I. §. 4. altera definitionis pars omissa est, & iungendus est metus, vt mox dicitur. Ad §. 7. & 8. cautelæ, quæ adiectæ erant, maxima ex parte reticentur, sine quibus tamen inuidentiæ non potest non in crimen venire. Eadem fide C. II. §. 2. 3. 4. 5. recensentur. §. 6. tota demonstrat, inuidentiæ affectum licitum esse, cuius demonstrationis ne verbo quidem mentio iniicitur. Plura non addo, cum pauca hæc censoris proteruiam mutilandi aliorum scripta, fucumque facienti legentibus abunde arguant.

soliditatis in censendis recensendisque aliorum commentationibus adhibeat Bibliotheca Academica, quæ Halæ euulgatur; quamuis aliorum simul opiniones excutere, ab instituto alienum non fuerit. Nolo autem relicta tractatione principali, characterem Censoris mentalem longius examinare, quem ex hac scriptione, quemadmodum ex unguibus leonem, haud difficulter intelligas. Nec iuuat in limine statim, quæ censoris est calliditas, hunc increpare, in quibus lapsus est, ne verbis potius præoccupare, quam rationibus conuincere lectorem videar, quem veritas et tota tractatio in meas facile partes adducent. Rei vnice inhærere constitutum est, quam procul ambagibus nunc adgredior. Cum vero duplex maxime sit criminatio, quæ in me effunditur: vna, qua recta a me mutari dicuntur; altera, qua, nouitate uocabuli rem tantum non vulgo eruditorum notam magis intricari, quam extricari, obiicitur: istam primum repellam, hac in posteriorem dissertationem reiecta. Quæ præterea infusa hinc inde mihi affricantur, ea data occasione *ὡς ἐν παραδείῳ* diluentur.

§. III. Quanta sit inter Philosophos dissensio de affectibus, quidue sigillatim de morali eorum bonitate, antiquiori pariter, quam recentiori nostra ætate actum sit, nemini, puto, obscurum esse potest, qui doctrinæ huius fata et historiam vel a limine salutauit. Veterum Platoniorum atque Stoicorum *ἀπάθεια*; Aristotelicorum, *μετρωπάθεια*; Epicuri *ἀταραξία* et Epicuræorum *ἐμπαθεια* notiora sunt, quam vt hic a me repetantur. Hodie magna consensione commendatur *ὀρθοπάθεια* (a) sed quando vterius quæris, vbi locum inueniat? vbi minus? discordant iterum, nec idem sentiunt disciplinæ Moralis statores. Nonnulli improbitatem animi adfectionibus accidere dicunt, quam alii necessario cum iis vinculo colligant. Vnus in vitiis numerat passionem, quam laudibus alter exornat. In notionibus tamen, prout

A 3

diuer-

(a) Non in *ἀπάθεια*, nec *μετρωπάθεια*, sed *ὀρθοπάθεια* debitus affectuum usus consistit, scribit Grauius. Præses, Celeb. HASSENIUS *Synopsis scientiæ de prudentiâ Morali vniuersa. Pt. I. p. 129. n. 125.* quam penitus mox prelo liberatum iri, omnes boni gaudent,

diuerse capiuntur omnem ferme litem consistere, & ad inanem de-
 mum verborum contentionem recidere, dudum obseruarunt viri
 rerum intelligentes. Grauiissimum huius rei testem excito, doctissi-
 mum illum Aلدorfinum Philosophum CHRIST. GOTTL.
 SCHWARZIUM, qui præfatione, quam Lælio Peregrino de animi
adfectionibus præfixit, de λογισμασια virorum eruditorum in doctrina affe-
ctuum tam erudite atque solide disserit, vt argumentum illud exhau-
fisse videatur. Omnes istæ, inquit, inter alia, dissensiones plerum-
que non nisi ex diuersa affectuum notione, quam sibi quisque for-
mauit, nascuntur; que nisi attendantur, & euidenter determinen-
tur, quam disputationes his de rebus suscipiuntur, fieri non potest,
quin λογισμασια & innumera verborum litigia existant. Dicta hæc
sibi putet censor; quæ enim si curatius expendisset, forte sibi tem-
perasset, quo minus honestatis limites me transfiliisse, conuictus fu-
isset. Quis, ait, vel summa speciminis capita perlegens, non ma-
nibus palpat, esse autorem in iis, qui vt aliquid sui videantur ad-
ferre, etiam rectamutant? censuram vero ita concludit: Uno ver-
bo boni sunt adfectus seu primi animi motus, in quantum vel ad
nostram conseruationem, vel ad aliorum vtilitatem a benigna natu-
ra nobis dati intelliguntur. Quorum cum in inuidientia neutrum
locum habeat, oleum certe perdunt, qui in laudanda inuidia ali-
quam collocant operam. Nemo, credo, tale quid hic palpabit, ni-
si qui phantasia vitio, nescio quæ, adprehendere sibi videretur, cum
nihil præter umbram amplectitur. Non dicam, quam serio in præ-
famine contestatus sim, nequiquam aliis contradicendi studium me agi-
tare, nec approbare me vllam affectuum improbitatem; vbi æquitas po-
stulabat, ne absque sufficientibus rationibus in alienam suspensionem
*vocarer. Sed ex iis ipsis, quæ scripsi iudicari volo. * Quanto vero*
studio per totam dissertationem in eo elaborauit, vt inuidientia illicita
a licita distingueretur? quam sollicitè Capitis II. s. 7. & 8. obiectum &
finem huius affectus limitauit, ne vitii quid obreperet, seseque laten-
ter admisceret? quantam curam Capite Ildo. adhibuit, vt omnes, qui
 fe

se obtulerunt casus, ad legum rectitudinem conformarentur, atque componerentur exacte. Quilibet ea legens, cui animi prurigo cal- lum non obduxit, manibus palpat, in iis me esse, quibus nil prius est, nil posterius, quam tueri omnia, quæ superiorum autoritate cau- ta sunt, bonisque viris probantur.

s. IV. Caussam meam peroret definitio, quae omnis demon- strationis principium primum & vltimum est. Dixi vero *Dissert. Super. C. 1. §. 4.* inuidiam, quatenus abstrahit a licita & illicita. *pas- sionem animi, ortam ex dolore aut tristitia ob bonum, quod in altero sine praesens sine futurum videmus, vel ex metu bonum, quod alteri indulgen- dum, amittendi.* Num definitio ista recte se habeat, nunc non dispu- to: id Dissertationi posteriori disceptandum relictum esto. Simpli- citer ea h. l. prout iacet, assumenda est, & quoniam ex ea reliqua specialiora vt conclusiones deducta sunt, definitione a vitio liberata, salua tantisper erit tota Dissertatio. Duo illa complectitur, dolo- rem & metum ob bonum alienum: aegedum sigillatim hæc excutiam. Num itaque, quod primum erat, ob alienum bonum in genere do- lere iniustum est? num prosperos aliorum successus ægre ferre simpli- citer nefas? Vix crediderim. Enimuero bonum quod physice est, quan- do honestatem sibi comitem non adiungit, mali habet rationem, & quantum participat iniusti, tantumdem ornamenti perdit. Stoici equidem præter virtutem nil bonum habent, cum quibus idem sen- tit Cebes *Tabula ex edit. Gronou. p. 74.* sed verbis tantum ludunt, & non sapientem solum suum largiter instruunt bonis fortunæ & natu- ræ, sed etiam cum improbitate ea stare posse, concedunt. Quod experientia quoque fidelissima rerum magistra luculentis testatur exemplis eorum, a quibus & bona naturalia in impietatis & effre- nis licentiæ instrumenta audacter haud raro conuertuntur; & ea, quæ indignis dispensantur, male & imprudenter collocantur. Ta- lia qui ægre ferre abnueret, eum quanta nefaria approbare oport- teret? is nonne lætari debet malis, quæ publica salus uel innoxii ex bonis præter meritum concessis accipiunt? Atque hoc est recta mu- tare. At ego, qui hæc abominor, atque ad contraria studia inuito hortor-

horrorque, ab improbitatis nota omni lege sum absoluendus. Nec poterit obuerti, dolorem, eiusmodi, qui inuidentiæ nomine venit, ad bona ista non pertinere, sed mala, quæ cum iis coherent, restringi debere. Nam suas aliquis partes hac ratione nondum impleuit. Quoniam enim bona cum malis in tali subiecto arctissime sunt connexa, vt separari atque diuellihæca se inuicem nequeant, ob bonum non minus, quod adeo peruersè hic applicatur, quam malum, quod ex abusu boni resultat, dolere debet, qui vitio recte mederi cupit. Effectus enim non tollitur, nisi sublata antea caussa. Nec dubium etiam cuidam esse potest de felicitate aliena, quæ vel reipublicæ vel tertio fraudi est, num eam licite inuidere queamus? Boni etenim naturam amittunt, quæ vel commune emolumentum interceptiunt, vel proximum lædunt. Nemo hic inuidentiæ locum negauerit, nisi qui affectum socialitatis petulanter suppresserit, aut philautiam ordinatam, quod tamen vix concipias, excusserit omnino. Hactenus ego non uideo, quomodo *recta mutari* possint ab iis, qui liberum gradum relinquunt inuidentiæ, hoc est, dolori ob bonum alienum, qua casus in Dissertatione superiori expressos. Mei hac in parte sunt omnes illi, qui in *Dissert. Sup. C. I. s. VI.* inuidiam dixerunt tristitiam ob bonum indignorum, eamque adprobarunt. Quibus addantur Ludou. Viues, atque Heiderus infra commemorandi. Vnum hic ciere iuuat Arnoldum Wesenfeldium, qui eadem fere ratione qua mox dixi de inuidentiæ moralitate iudicat atque præcipit. Ipse enim postquam in *Georgica anime & vite* Pt. II. C. XVIII. p. 588. §. 20. inuidiam, quæ vulgo adpellatur, definiuerat per *tristitiam ex bonis aliorum*, statim pergit: *Nec hic omnis tristitia vitiosa & contra naturam est, vt ferme creditum. Nam 1.) tristitia de hostium capitalium & publicorum bonis & fortuna, per quam bona nostra destruuntur, quæque ita reuera nobis mala sunt, vitiosa haud est: quatenus se suaque bona amare non est vitiosum. 2.) Nec tristitia ex bonis aliorum, quos his ipsis indignos iudicio recte conformato indicamus, quæ & speciali nomine indignatio dicitur. Hæc autem, vt genuina sit, requiritur indignitas manifesta, &c. Porro etiam videndum ne in ordine ad prouidentiam Diuinam indignemur &c.*

Termin-

Terminatur vero licita indignatio in ordine ad causas secundas, quas solas pervidemus, ipsorumque bonorum minus accurata proportione ad subiectum hoc &c. Quæ vltima Wefenfeldii existare hic volui, ne obiiciant in posterum alii, cum eadem ratione aduersus Clar. Buddeum, studiorum amplificatorem optimum, distinguerem *Dissert. sup. C. 1. §. X.* conflictam a me esse distinctionem, quæ vitæ non adeo quam scholæ profit. Non magis enim recte exercetur, quam accurate docetur inuidia licita in iis, quæ ab hominum arbitrio & distributione pendet, cum hæc distinctio negligitur.

§. V. In aprico hæc, quæ de dolore ob bonum alienum eiusque licentia hæctenus discerui posita, esse arbitrabar, vt ea illustrare velle sit lucem in meridie accendere. Nondum vero tam evidentia adparent acutissimo aui nostri Philosopho, Christiano Thomasio. Vir iste celeberrimus, quod nemini non patet, vt Philosophiam totam Moralem, ita doctrinam quoque illam, quæ de animæ passionibus tractat, scriptis & autoritate sua multum iuuat. In affectibus tamen, quos ipse indifferentes esse dat, redarguendis nimius videtur vir cetera doctissimus, cum nec iis hic parcatur, qui omnium fere consensu medii esse sua natura perhibentur. Non ausim dicere, recta a viro illustri mutari: id statuo, deserri præter causam vsu loquendi consuetum, vt disputatio in verborum tandem litigia desinat. *Ira* causam egit supra laud. C. G. Schwarzius de λογισμια vi-
rorum eruditorum in doctrina affectuum. Ad me tantum spectat inuidia, de qua ita sentit Vir illustris, vt nunquam indifferentem eam esse censeat. Verba *Praxi Philos. Moral. C. XIII. s. 46.* ita fluunt: *natura ostendit, quod plane sit irrationale super secundis rebus alterius contristari, præsertim super fortuna, quæ nobis non prodest, quamque non appetimus, & per quam nobis nihil decedit.* Non dubito, federe viri illustris animo sententiam prorsus aliam, quam quidem verba præ se ferunt, cum, vt iacent, arripiuntur. Quomodo enim, quod separatim tamen hoc loco asseritur, *super secundis rebus alterius contristari* simpliciter vitium habere potest, nisi quæ cuidam Physice euenit prosperitas, cum morali quoque bonitate perpetuo atque indiuiso nexu fo-
B
ciata

ciata dicatur, cui tamen experientia refragatur. Idem hoc est, cum illo, quod Plutarchus *Dissert. Super. C. I. §. VI.* notatus ait: *nemo eo in- iuste agit, quod factis utitur successibus.* Sed ponamus casum. Sit vir qui- dam eruditus, qui autoritate, qua ex Dei permissione pollet, abuta- tur ad detrahendum viri illustris existimationi, atque iuuenibus, qui magno ipsum numero sequuntur, non absque specie persuadendum, doceri eiusmodi a Christ. Thomasio, quæ ipsa religionis fulcra re- apse subuertant, *dran Himmel und Hölle hange.* Numne inuidentia suas hic partes recte agit? Occurrit nobis hic bonum alienum, au- toritas scilicet viri eruditi, quæ, quatenus in abusum trahitur, vt inno- xii, quod supponere liceat, honori atque famæ labes adspargatur, mali naturam habet. Nonne ergo hanc eatenus alteri inuidere, numne dolere licitum est? Vix repugnauerit vir illustris, dum autoritatem huius viri, (hi vero sunt effectus inuidentiæ) & scriptis & dictis, vt accepi, quotidie oppugnat, pluraque adhuc minatur. Vecors fue- rit, qui vitio id verterit viro illustri! Quare itaque dolorem de bono alieno in quæstione iuris simpliciter improbat, quem se non auersa- ri facto ipso, probat? Num ergo, Virum illustrem irrationale quid admittere credas? Nequaquam: sed id relinquitur, *non semper irra- tionale esse super secundis rebus alterius contristari.* In reliquis casibus, quibus tota tamen inuidentia non absoluitur, *ubi alterius fortuna nobis non prodest, & per eam nobis nihil decedit,* recte exesse iubetur, vel, quando adest, in crimen vocatur inuidentia, seu dolor ob bonum ali- enum, quoniam odium tum proximi in causa vt plurimum solet esse, cur inuideatur. Quodsi vero tertio v. g. vel magis merito, vel qui maius ius habet, damnum affert felicitas alterius, dolor iterum illi- citus esse nequit. Quæ enim lex nobis proximum commendat, & ad ea ipsi asserenda nos obstringit, quæ iure postulare poterat, eadem ipsa inuidentiæ locum facit, cum absque hac effectui prior dari ne- queat. Licentia vero finis parit licentiam mediorum.

§. VI. Quid vero statuendum erit de bono alieno, quod pu- blico commodo inimicum est? numne hoc ægre feremus? numne publicum priuato antefereamus? Ne quidem, Carneades, cui iusti-
tia,

tia, si qua detur, summa est stultitia, id impugnavit, teste Grotio Proleg. de Jur. B. & P. s. 18, quod vir noster illustris verbis tamen potius, quam re ipsa diserte inficiatur. Quando enim de indignatione verba facit, hoc inter alia nomine, cum molestiam designat, super bono quod indigni possident, vitiosam tegi invidentiam, existimat, ut abs amore rationali proficiscio facilius credatur. Audiamus ipsum, quæ sentit, eloquentem Prax. Philos. Mor. C. XIII. §. 49. p. 357. Posterior indignationis species invidia cognata est, in eo tantum ab ea distinguitur, quod invidia nequaquam alios respiciat, qui bonum, cui invidemus, non possident; indignatio vero invidia sit pallio amoris induta, quia cor nostrum malitiam suam, hoc ipso obvelare studet, ut nobis persuadeat, nos alteri bonum non invidere, sed tertii potius infelicitatem dolere, quod his facultatibus aut bonis careat, quæ in altero cum invidia intuemur. De indignatione sermo est, quæ vero, quando invidentiæ cognata dicitur, ab Aristotele, qui indignationis tamen autor est inuentorque, disceditur. Is enim indignationem invidentiæ opponebat, non vero hanc cum illa coniungebat, ut in Dissert. post. commonstrabitur. Rem vero ipsam, quantum attinet, in dolore ob indignorum prosperitatem ita fieri posse, quemadmodum graphice rem descripsit vir illustris, non diffiteor. Nec is ego sum, qui eiusmodi indignationem excuset. At particulare tamen hoc est, a quo ad vniuersale nulla valet consequentia. Potest etiam fieri, ut sine intentione aliena immeritorum quis bonis indignetur, ut sincero impellatur affectu in communem utilitatem, & merita dignioris, qui posthabitus est. Sicuti enim ignavis mercedem; ita indignis honores distribuere iniquum est. Sicubi vero parum id cogitate factum fuerit, indigne ferrè summam illam iniuriam summum ius erit. Optime hanc in rem Lælius Peregrinus de animi affectionibus Capite de indignatione edit. Lips. p. 170. §. 1. Bone indolis affectio censetur perinde ac misericordia. Iniustum enim est, quod accidit præter dignitatem, si ea solum expendantur, quæ apparent. Ideo Aristoteles opinatur, iure nos indignari iis, qui præter merita sunt fortunati & motum hunc animi laudabilem ex eo asserit, quod tribuitur Diis. Comp., quæ Wefenfeldius Georg. anima & vital. c. hac de re præcipit, & ex parte sub finem s. IV. adiecta sunt.

§. VII.

§. VII. Metus est alter affectus, quo inuidentiam constare, supra dictum a me fuit. Terminatur vero metus tam ad ipsam inuidentiæ passionem, cum dolemus ob ea, ex quibus mala atque nociva nobis impendere, haud frustra suspicamur: quam ad inuidendi actum, quo negamus aliis bona, quæ in nostra erant potestate metu ea amittendi. De hoc vero sigillatim multa afferre supersedeo. Non enim opus est, ut multis probem, quod sua natura & abstracte consideratus non sit iniustus, cum ad nostram conseruationem metum comparatum esse, ipse concedat censor. *Quis enim, inquit p. 213. sine fuga mali, quam metum dicimus, non quotidie in manifestissima rueret pericula?* Nec inde aliquid sibi labis adsciscit metus, quod in aliorum feratur bonum, quandoquidem non versatur circa bonum, quatenus est bonum, sed quatenus boni indolem amittit, malique naturam recipit. Quodsi iam non aberrant, qui ob bonum dolent, quod immerentibus sibi, vel aliis, vel publico in damnum cedit; quanto rectius cautiusque incedunt, qui metuunt etiam bonum, vbi mali ipsium mouet suspicionem haud vanam, solidamque, siquidem minus est arduum cauere sibi a malo, quod imminet, quam illud, cui succumbimus, auertere atque amoliri. Hinc itaque iusti rectique rationibus aduersi esse nequeunt illi inuidentiæ actus, quo metu vel bonum amittendi, vel alios lædendi, quæ nostra sunt bona, quæque distribuendi aliis nobis cessit facultas, recusamus, ut sunt gradus Academici, scientia eruditorum, arcana studiorum, & libri, de quibus omnibus *Dissert. super. C. II. a §. VII. ad finem tractat.* luculenter commentatus sum. Vnum adhuc subiiciam testimonium pro vindicando illo inuidentiæ actu, quo arcana scientiarum reticentur, sibi que seruantur. Est illud celeb. C. A. Heumanni, qui *Actor. Philosoph. Tom. I. Pt. II. §. 37. p. 233.* hoc Philosophiæ arcanae præceptum expromit: *Wenn eine Wahrheit dir schaden/ andern aber nichts helfen würde/ so bist du nicht schuldig sie zu entdecken/ ja vielmehr/ du bist sie geheim zu halten verbunden.*

§. VIII. Iudices nunc sint viri intelligentes, num in definitione inuidentiæ, quam *super. Dissertatione* dedi, & hætenus paullo plenius

nus explanavi, quid hæreat improbitatis, quod honestatem evertat aut saltem offendat. Affectum hunc esse vno omnes ore fatebuntur, qui Moralistarum suffragiis comprobatur; quantumvis nonnulli reperiantur, qui invidentiæ nomen inani quodam fastidio defugiunt. Cartesium equidem solum, putat Christ. Thomasius, invidiam cum affectis suis, laudibus atque licentia instruxisse, qui eo, dum animi adfectiones tanquam veras passiones ad intellectum reiiciebant, indifferentiam iis promiscue omnibus vindicare debebant. Ita enim *Præxi Philos. Moral. C. XIII. s. 49. p. 354.* scribit: *Non memini me legisse, quod ullus unquam Philosophus invidiam affectum indifferentem esse statuerit, præter Cartesium & eius affectus.* Verumenimvero esto, quod Cartesius invidentiam primus licitam pronunciauerit, quod liberalius tamen, quam par erat, asseri, mox euincetur; nil tamen hoc ipso veritati decedit, quæ non Philosophorum autoritate, sed argumentorum pondere æstimanda est (a) Quemadmodum ergo non omnia, quæ Aristoteles docuit, tanquam *ineptiæ* simpliciter sunt improbanda; ita nec in *præiudiciis* consistit tota Cartesii Philosophia, & pauci inter eruditos sunt, qui non quædam eius placita adprobent, scribit Buddeus *Hist. Philos. s. XXVI. C. VI. p. 87.* At si vel maxime ab his discedam, falsus nihilominus est vir illustris, Cartesium solum invidentiam in affectibus indifferentibus numerasse, statuens, siue de nomine, siue de re ipsa sermo sit ei. Nam dolorem ob bonum alienum apud eruditos crimen simpliciter non habere, ex iis constat, quæ *huius Dissert. s. IV.* producta sunt, testimoniis. Ipse etiam vir illustris diserte confitetur, æmulationem atque indignationem, quæ aliqua ex parte cum invidentia congruant, commendari a nonnullis. Itaque sunt præter Cartesium omnino, qui invidentiam qua rem ipsam certa ratione

B 3

tione

(a) Exprobat inter alia mihi censor *p. 214.* me fere vbiq; aliorum testimonia venditare, de argumentis vero & rationibus, quibus veri Philosophi persuaderi gaudent, securum esse. Non video autem, quid peccent, qui clarissimos viros testes excitant illustrandæ causæ, præsertim non omnibus cognitæ, gratia. In iis me tamen non adqueuisse, sed rationes assertionum cuius thesi adiunxisse, singulæ loquuntur *Dissert. Super. paginæ.*

tione collaudant. Quodsi vero non res, sed vox inuidentiæ in dis-
 ceptionem venit, vt hæc sit quæstio: numne præter Cartesium
 atque Cartesianos existant alii, qui inuidentiæ affectum, quatenus
 dolorem ob bonum alienum & metum sua amittendi complectitur, ex-
 presso nomine iusto adgnoscant? tum Cartesium largior fuisse pri-
 mum, qui inuidiam proprio suo nomine adpellatam in seriem affectuum
 indifferentium reulerit, atque notionem istam, quæ antea nil fere nisi com-
 mune vitium designabat, eo reduxerit, vt licitus deinceps affectus dici
 cœperit inuidia. Fidem faciunt dictis, qui *Dissert. Super. C. i. §. 6. &
 C. II. §. 10.* excitati sunt causæ meæ fauentes. Non repeto nunc Cartesia-
 nos, vt Henr. Morum, Antonium le Grand, Philaretum; taceo Casuistas
 Pontificios, Antonium de Escobar & Laymannum; nec memoro Ob-
 seru. Hallens. sed in subsidium tantum voco Ecclesiæ nostræ purioris anti-
 stites atque Theologos, immortalis doctrinæ atque pietatis gloria celebres,
 Balduinum, Rauppium, Bechmannum, & qui Dissertationem claudit,
 Wandalinum. Ii enim Cartesio partim antiquiores, partim iuniores tes-
 tes sunt fuisse præter Cartesium, qui inuidiam certis in casibus licitam
 crediderunt. Ante Cartesium pauciores, fateor, existierunt, qui inui-
 dentiæ nomine tanquam medio vsi sunt. Non omnia quidem veterum
 Philosophorum monumenta excutere aut cum cura perlustrare integrum
 mihi fuit; id tamen inde coniicio, quoniam inter Philosophos præcos,
 præ cæteris excelluerunt, & in Morali præsertim disciplina maximos fe-
 cerunt progressus sapientes ex Peripato & Porticu, a quibus præcepta
 morum hausierunt, suosque in vsu conuerterunt, qui ad morum scien-
 tiam post eos perficiendam atque excolendam animum adiecerunt. Iam
 quidem Aristoteles reipsa consentiens nomine secessum facit, vt quicquid
 notionis τῆ φθόνου comprehenditur, ab ipso damnetur. Stoici vero hoc
 ipso, quod inter animi perturbationes referebant inuidiam, pro morbo
 & vitiosa passione eam non poterant non venditare. Alterutrius vero sectæ
 huius vestigiis institerunt Moralium doctores ad tempora usque Cartesii,
 vt recusari inde non posset, quo minus inuidia in vitii fere vocabulum
 abiret. Non tamen plane nulli fuerunt inter antiquiores, qui inuiden-
 tiæ iustitiam quodammodo intellexerunt. De Socrate, qui dolorem ob
 bonum alienum inimicorum probat, *Dissert.* posteriori dicendi locus erit.
 Hippias vero apud Stobæum *Serm. 38* duplicem memorat inuidiam: iustam,
 cum quis inuidet improbis honoratis, & iniustam, cum bonis; quo in significatu
 plerumque ponitur. Illam priorem vere *ψύβω* & Zelum, sed raro inuidiam appel-
 lant:

*lant: hac posterior affectus ex tristitia, metu, ira, odio & ἐπιχαιρῶν μίχτος esse videtur. Aristoteles Ethicor. ad Nicom. L. II. C. V. vndecim recenset perturbationes, interque eas invidentiam. Mox vero addit: ex perturbationibus nec boni nec mali dicimur. item: perturbationes nobis nec laudi dantur, nec vitio. Quod quomodo cum reliquis de invidia dogmatibus Aristotelicis stare possit, infra erit explicandum, vbi simul Ludouicus Viues atque Wolffg. Heiderus subiiciuntur. Ex recentioribus iam supra Wesensfeldium excitauit, alios vero, vt v. g. Casparem Dornauium, qui peculiare adornauit *Encomium inuidiae* (a) atque Croufazii commendationem inuidiae ironicam, quam*

(a) Scriptum hoc, cuius hic copiam habere non licuit, instituto meo convenientissimum esse, titulus initio persuadebat. Sed postea alia edoctus sum a Viro Celeb. I. H. von Seelen, Athenarum Lubecensium Directore meritissimo, cui sequentia inter alia accepta refero. „ Libellus Dornauianus, quem possideo, hanc habet inscriptionem: *Ca. sparis Dornauii Encomium inuidiae secunda cura recognitum & autum ad illustr. Dominum Dn. Albertum Ioannem L. Baron. a Smirziz. Francos. ad oder. 1618. 12. pagg. 99.* Agit autem de inuidia passiuā, quam triplici potissimum de causa commendat. Prima est p. 9: *Inuidia a vitiis, morum turpitudine, & vita sceleribus inquinata quam longissime distat atque abhorret. & p. 17. sqq.* Id est in qua triumphat inuidia, quod cum virtute omne commercium habet: „ ab hac non minus secedit quam a corpore umbra: hanc sequitur domi: non deserit foris: pernoctat cum ea, peregrinatur, rusticatur. Excutite totam totius „ humani generis vitam: nonne inuidiam protinus habebit sociam is, qui supra „ vulgus quicquam sapiet? Secunda est p. 45. sq. inuidia quotiescunque nos circumstat, non futura, sed praesentis felicitatis tam euidentis est signum, quam „ aurora diei albescens, gemme turgentes in arboribus amoenissimi veris. Qui „ hoc intelligi potest? nihil habet commune inuidia cum miseria; nihil cum pauperie & mendicitate; nihil cum exilio, sed ubicunque sui copiam nobis fecerit, restis est felicitatis, index libertatis, comes diuitiarum, honorum sociā, nuntia dignitatis. Tertia desumpta est ab vtilitate, qua inuidia ad praecleara „ ra quæuis perpetranda instigat, & viam ad gloriam ac famam optime „ sternit. Illustrata & amplificata, imo etiam probata, sunt omnia elegantissimis exemplis, ex omni historia, praesertim antiqua depromptis, quibus totus hic libellus, & ingenii acumine & eruditionis varietate, se commendans, est reферtus. Fufius exposita sub finem hoc disticho, epiphonematico includit:

*Si cupis inuidiam sociali excludere recto,
Autesto miser, aut virtutis desere castra.*

quam

quam suscepit dans *Nouvelles Maximes sur l'education des Enfants* (b) data nunc opera sileo. Satis enim hi autoritatis habent, ad reuincendam Thomasi obiectionem, acsi Cartesiana tantum schola affectum hunc commendet, quem plures alii grauissimi viri, vt mox dictum, in laude posuerunt. Ex quibus tandem relinquitur, me recta non mutasse, quando peculiari Dissert. de inuidientia licita sum commentatus. Quis enim credat, tanti ingenii, tantæ doctrinæ, tam erectæ indolis viros fuisse tam obesæ naris, vt subodorari non potuerint malitiam huius affectus, quæ Censori statim suboluit. Quis sibi persuadeat, Theologos, qui insigni pietatis zelo nomina sua ad æternitatem consecrarunt, cognitione honestatis longe inferiores esse conscriptori ephemeridum, vt abs eo redargui post fata mereantur? Quis contra non videt, vel pituita laborare Censorem, vel nimium sibi suffenum esse, vt ea etiam a iustitiæ tramite deflectere dicat, quæ cum ea congruere dudum ante ipsum iudicarunt viri perspicacissimi laudeque mea maiores.

§. IX. Hæc itaque sunt momenta illa, quibus induci me passus sum, vt inuidientiam primum ab opinione vulgi, et nunc iterum a censura Bibl. Acad. Hall. vindicare suscepim. Neque vero insolens uideatur cuidam, excusari a me affectum, qui plerisque tam male audit, vt vitii frequentius, quam passionis sit nomen. Nam & alii affectus suos inuenerunt præcones et defensores, qui cum inuidientia cognatam habent rationem: æmulationem puta atque *ἐπιχαρῆσαντιον*. Constitueram etiam vtriusque cum inuidia connexionem præsertim, & licentiam explicare, præuentibus viris eruditissimis. Sed spatii præfixi angustia, qua excludor, iubet, vt in aliam hæc occasionem referentur.

(b) Celeb. Croufazium nouæ huius methodi educandi liberos, quæ prodit Amstelod. 1718. Autorem esse, ex *Aëlis Erud. Lips. Ann. 1710. M. Februar. p. 77.* didici. Ipse vero *Cap. I. de moribus, moderatam*, vt vocat, *inuidiam, & malitiam*, quæ *emulationis & viuacitatis* nomine vulgo insigniri solet tanquam præcipuas virtutes commendat, illisque liberos mature adfuefaciendos docet, quemadmodum exponunt *A. E. l. c. p. 87. sq.* Opportune vero simul obseruant, prima quidem specie Cl. Autorem vanissimis hominum animis mirifice blandiri, re tamen ipsa corruptam educationem lepide exagitare, & viuis quasi coloribus depingere. Ex quo constat, nec æmulationem, nec inuidiam ab ipso vt affectus indifferentes spectari, sed tanquam habitus aut actus vitiosos ironice collaudari, quod a me alienum est.

DISSERTATIONIS PRIORIS FINIS.


Wittenberg, Diss., 1720



f
sb.

v. D. 18





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

B.I.G.

Farbkarte #13



כ"ט

Vol. 3 P. 15
1720
12
10

LOGIAM DENTIAE

ADVERSUS
OTHECAM
CAM HALLENS.
ATIONE PRIORI.

IN
ALBIM ACADEMIA
l. A. c1720ccxx.
ODERANTE



TINO HASSEN
VILIUM PROF. PUBL. ORD.
MMOPERE COLENDO
H. L. Q. C.
NTIUM DISQUISITIONI SUBMITTET

AUTOR
IAN. BURGMANN,
ENSIS, LL. AA. MAG.

nebat Johannes Lud. Fincelius.

